



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. 1. Motus concupiscentiæ, omnem voluntatis consensum
prævenientes, non sunt peccata mortalia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

quibus eos voluntas appetit & imperat. Vide tract. de Actibus hum.

ARTICULUS IV.

Utrum peccatum possit esse in appetitu materiali secundum se, ita ut omnes motus appetitus materialis circa rem illicitam, prevenientes omne exercitium libertatis & omnem consensum voluntatis, sint peccata.

NOta. Circa hanc questionem multiplex est sententia. Prima est Lutheri, docentis motus illos omnes esse mortalia peccata, etiam si voluntas non consentiat, nec tamen iustis à Deo imputari propter fidem. Secunda est Cajetani, & docet motus illos esse peccata venialia, quamvis voluntas non consentiat. Tertia est Durandi, & aliquorum aliorum, tenentium motus illos esse peccata venialia, si procedant ex imaginatione rei illicitæ; secus verò, si procedant ex sola dispositione corporis. Quarta denique, quæ communis est, docet motus ejusmodi neque mortalia, neque venialia peccata esse. Cum hac sententia sit

RESPONSIO I.

Motus concupiscentiæ, omnem voluntati consensum prevenientes, non sunt peccata mortalia.

Prob. 1. Ex Script. Eccli. c. 18. dicitur: *Post concupiscentias tuas non eas.* Unde sic argumentor cum S. Augustino lib. 5. contra Julian. c. 3. Si etiam absque omni consensu voluntatis motus concupiscentiæ essent peccata mortalia, frustra moneret nos Ecclesiasticus, ne post concupiscentias nostras eamus, hoc est, ne consentiamus motibus concupiscentiæ. Atqui tamen monet nos, nec frustra monet. Ergo, &c. 2. Rom. c. 6. sic ait Apostolus: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediat concupiscentiis ejus;* ubi nomine peccati intelligit concupiscentiam, non quod per se peccatum sit propriè, sed quia est effectus peccati originalis, & causa peccati actualis. Hanc autem concupiscentiam non vult non esse, sed solum non regnare in nostro corpore; quia videlicet tunc tantum propriè peccatum est, quando in nobis regnat. Atqui tunc tantum in nobis regnare intelligitur, quando ei obedimus, ut explicat Apostolus ipse, hoc est, quando ei consensum nostrum exhibemus. Ergo, &c. 3. Jacobi c. 1. dicitur: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua, abstractus & illectus;* deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cum consummatum fuerit, generat mortem; ubi Apostolus tria distinguit instantia, in quorum primo est solus motus concupiscentiæ, tentans, & ad peccatum alliciens; in secundo partus concupiscentiæ; in tertio spiritualis mors animæ. In primo motus concupiscentiæ omnino involuntarius est, in secundo voluntarius imperfectè, in tertio perfectè voluntarius. In primo, motus concupiscentiæ est mera tentatio, quæ certè non est peccatum, sed potius est occasio meriti: non enim Deus finit nos tentari per insurgentem concupiscentiæ motum, nisi ut ei resistendo mereamur. Unde illud ejusdem Apostoli eod. cap. *Beatus vir, qui suffert tentationem,* hoc est, qui eam patitur invitus. In secundo, motus concupiscentiæ est peccatum veniale, quod Jacobus vocat concupiscentiæ partum. In tertio denique concupiscentiæ motus est peccatum mortale, in quo spiritualis mors animæ consistit. Ergo ex Jacobo Apostolo, ante plenum & perfectum consensum motus concupiscentiæ non est peccatum mortale.

Prob. 2. ratione. Nam 1. nullum peccatum mortale reperitur in iustis, manentibus in statu iustitiæ. Status enim iustitiæ impossibilis est cum omni peccato mortali, ut fides docet. Atqui motus concupiscentiæ reperitur in iustis, manentibus in statu iustitiæ. Ergo motus concupiscentiæ secundum se nec sunt, nec possunt esse mortalia peccata. Minor patet ex Apostolo dicente Rom. c. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ,*

Siquinet Theol. Tom. 1.

& captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Experiebatur ergo ipse Apostolus inordinatos concupiscentiæ motus: unde & gemebar sub hac servitute, & ad libertatem anhelabat: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Cum illis tamen inordinatis concupiscentiæ motibus iustus erat, quia per illos non peccabat. Per illos autem non peccabat, quia non consentiens, sed invitus patiebatur illos. Quod odi malum, inquit, illud facio... nunc autem jam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum... velle adjacet mihi; perficere autem bonum non invenio: unde per illos motus legem divinam non transgrediebatur: *Si quod nolo malum, illud facio, consentio legi, quoniam bona est... Condelector legi Dei secundum interiorem hominem... Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati;* proindeque, non obstantibus illis motibus, perseverabat in statu iustitiæ, ex quo nemo potest excidere, nisi per gravem legis divinæ transgressionem.

2. Omne peccatum est essentialiter voluntarium: nam, ut dicit Augustinus, *peccatum usque adeo voluntarium malum est, ut non sit peccatum, si non sit voluntarium.* Atqui motus concupiscentiæ, secluso omni consensu voluntatis, nullo modo voluntarii sunt, ut patet ex terminis. Ergo secluso omni consensu voluntatis, nec sunt, nec possunt esse mortalia peccata. Nec dic motus concupiscentiæ nobis quidem voluntarios non esse voluntate nostra, physicè propria, sed nobis voluntarios esse voluntate Adam, quæ fuit moraliter nostra propria, quomodo nobis voluntarium est peccatum originale; proindeque sicut peccatum originale nobis sufficienter voluntarium est, ut sit nostrum peccatum; ita motus concupiscentiæ nobis sufficienter voluntarios esse, ut sint nostra peccata mortalia, etiam secluso omni voluntatis propriæ consensu. Nam contra est, quia motus concupiscentiæ non sunt peccatum originale; & si peccatum originale in illis consisteret, falltem non essent peccata in renatis; quia, ut docet Trid. sess. 5. tota culpa originalis per baptismum dimittitur: sed sunt peccata actualia & personalia, ut docent ipsimet Sæctarii. Peccata autem actualia & personalia nulla sunt, nisi nobis voluntaria sint voluntate nostra, physicè propria. In hoc enim originale differt ab actualibus & personalibus, quod voluntate physicè nobis aliena contrahatur; actualia verò & personalia non contrahantur, nisi voluntate nobis physicè propria, & hanc ob rationem dicuntur personalia.

Hoc apertè docet S. Augustinus lib. 1. de peccata mer. & remissione, ubi postquam c. 34. sic pro existentia peccati originalis argumentatus est: *Parvulis in baptismo peccatum aliquod dimittitur: Ergo habent aliquod peccatum: Ergo vel originale, vel personale.* Atqui nullum habent aut habere possunt peccatum personale: Ergo ante baptismum habent peccatum originale, quocum nascuntur, & quod illis dimittitur, cum baptizantur: prolequitur statim cap. sequenti in hunc modum: *An verò... tempus ad hoc impensuri sumus, ut probemus, atque doceamus quomodo per propriam voluntatem, sine qua nullum vitæ propria potest esse peccatum, nihil mali commiserint infantes, qui propter hoc vocantur ab omnibus innocentes?* Ubi per vitæ propria peccatum, quod non nisi voluntate propria committitur, intelligit peccatum personale. Igitur juxta S. Doctorem, tam evidens est parvulos, recens natos, nullum habere peccatum personale, ut in hac veritate probanda frustra tempus tereretur; quia nimirum tam evidens est eos non posse peccare voluntate propria, ut hoc nulla probatione indigeat. *Nonne, inquit, tanta infirmitas animi & corporis, tanta rerum ignorantia, tam nulla omnino præcepti capacitas, nullus vel naturalis, vel conscriptæ legis sensus aut motus, nullus in alterutram partem rationis usus, hoc multo restatiore silentio, quam sermo noster præclamat atque indicat?* Hinc parvuli, recens nati, ab omnibus vocantur innocentes, non quia carent omni omnino peccato, etiam originali, sed quia omnibus notum est,

eos carere omni peccato vite propriæ, eos nihil mali voluntate propria committere, eos nec rationis nec libertatis usum habere, & eos sic nullum prorsus habere peccatum personale. Itaque ex S. Doctore, ad peccatum actuale & personale essentialiter requiritur, ut voluntarium sit voluntate propria peccantis; & hoc ita indubitatum est, ut omnibus notum sit, parvulos non habere peccatum personale, quia omnibus notum est, eos nihil mali voluntate propria committere, & tanta constet evidentiâ parvulos non habere peccatum personale, quanta constat eos nihil mali voluntate propria committere.

Obj. 1. Omnes motus concupiscentiæ prohibentur per legem illam, *Non concupisces*. Ergo, &c. *Resp.* omnem motum concupiscentiæ prohiberi, quâ voluntarius, non quâ naturalis motus est; vel potius non tam ipsum concupiscentiæ motum prohiberi, quâm voluntatis consensum, quo concupiscentiæ motus fit voluntarius: Deus enim per præceptum illud, *Non concupisces*, non prohibet nobis, ne habeamus motus concupiscentiæ, sed ne illis consentiamus. Ratio est, quia sicut Deus ea tantum nobis præcipit, quæ facere, ita ea tantum prohibet nobis, quæ omittere possumus. At non possumus carere motibus concupiscentiæ, sed solum possumus illis non consentire, ut patet ex Apostolo supra relato. Hinc à duobus Pontificibus, & cum illis ab universa Ecclesiâ hæc Baji propositiones, 50. *Prava desideria, quibus ratio non consentit, & que homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto; 51. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria que inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia, damnata fuerunt.*

Dices. Hæc doctrina repugnat Augustino lib. de Spir. & lit. c. ult. & lib. 2. de nupt. & concup. c. 29. quibus locis docet hanc legem, *Non concupisces*, non posse servari in hac vita propter motus concupiscentiæ. Unde sic argumentor. Si lex, *Non concupisces*, non prohiberet ipsos motus concupiscentiæ, sed solum voluntatis consensum, posset in hac vita servari: potest enim voluntas, auxilio gratiæ adjuta, omnibus concupiscentiæ motibus dissentire. Atqui ex Augustino, lex, *Non concupisces*, non potest servari in hac vita. Ergo ex Augustino, non solum prohibet consensum voluntatis, sed etiam ipsos concupiscentiæ motus, etiam omnem voluntatis consensum prævenientes.

R. in hac lege, *Non concupisces*, secundum mentem S. Doctoris, duo distinguenda esse, finem scilicet & medium. Finis est, nullos experiri concupiscentiæ motus; medium verò, insurgentibus concupiscentiæ motibus resistere, imò ad illos impediendos moralem diligentiam & cautionem adhibere, præsertim quando solent ad consensum pertrahere. S. autem Augustinus locis citatis dicit tantum legem, *Non concupisces*, in hac vita servari non posse quantum ad finem, quia non possumus in hac vita carere omni motu concupiscentiæ. At servari potest quantum ad medium: possumus enim moralem diligentiam & cautionem adhibere ad impediendos concupiscentiæ motus, & si insurgant, illis resistere, quod sufficit ut contra legem illam non peccemus. Propriè enim obligatio legis est ad usum mediorum, non ad finis affectionem; nec transgressor legis censetur, qui non assequitur finem, sed qui media non adhibet. Hinc contra legem, *Non concupisces*, peccat is, qui consentit motibus concupiscentiæ, aut qui temerè exponit se morali periculo eos habendi, non verò is, qui eos planè invitus patitur, ut docet expressè S. Augustinus epist. 200. *Quamvis, inquit, insint, dum sumus in corpore mortis hujus, desideria peccati, si nulli eorum adhiberemus assensum, non esset unde diceremus Patri nostro, qui est in Cælis: Dimitte nobis debita nostra.* Hic autem per desideria peccati, motus concupiscentiæ manifestè intelligit.

Obj. 2. S. Augustinus variis locis docet nos peccare formaliter per motus concupiscentiæ, etiam secluso omni consensu voluntatis. Ergo, &c. *Neg. ant. Probabilis.* Nam 1. dicit cum Ambrosio, concupiscentiam esse iniquitatem, quia iniquum est, ut caro con-

cupiscent adversus spiritum. 2. Dicit nos à concupiscentia non solum miseros, sed etiam malos esse, 3. Dicit concupiscentiam esse peccatum, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis. R. ad 1. Augustinum cum Ambrosio, nomine iniquitatis inordinationem intelligere, & concupiscentiam vocare iniquitatem, quia est quædam inordinatio, quæ spiritui adversatur, sollicitando nos ad id agendum, quod spiritus dicitur esse turpe & illicitum. R. ad 2. nos per concupiscentiam malos esse, quatenus per eam ad peccatum proclives sumus, & per eam se ipsa sæpè ad peccandum inducitur. R. ad 3. S. Doctorem nomine peccati intelligere quandam defectum in genere moris, & nomine inobedientiæ inordinationem quandam. Vocat igitur S. Doctor concupiscentiam peccatum, quia insurgit & rebellat adversus mentem, ad id faciendum, quod illa reprobat, provocando, & ab eo faciendo, quod illa approbat, deterrendo, & ita quantum in se est impediendo ne mens, seu recta ratio dominetur in homine, voluntatem ab eo quod pravum est, abducendo, & ad id quod rectum est, inducendo efficaciter.

At inquit. S. Doctor docet etiam Deum odisse concupiscentiam. At Deus non odit nisi peccatum. Ergo, &c. R. neg. min. Deus enim non solum culpam odit, sed etiam malum, quod ad culpam sollicitat. Deus igitur, secundum Augustinum, odit concupiscentiam, non quod culpa sit, sed quia malum quoddam est nobis intestinum, per quod sollicitamur ad culpam. Deus aliter odit culpam, & aliter concupiscentiam: ita enim odit culpam, ut propter illam nobis indignetur, nosque puniat: at neque nobis indignatur, neque nos punit propter concupiscentiam, secluso omni consensu voluntatis. Odit itaque concupiscentiam secundum se, sicut tentationem, sicut defectum & inordinationem, sicut moralem nostram aegritudinem odisse potest, nobis prohibendo, ne illi consentiamus, nobisque præcipiendo, ut eam, quantum possumus, comprimamus, & ab ea convalescamus. Quod fit per habitum, seu facilitatem, quam nobis comparamus per actus repetitos, quibus motibus ejus constanter obstitimus.

RESPONSIO II.

Motus concupiscentiæ secundum se, & absque omni consensu voluntatis, nequidem possunt esse peccata venialia.

Prob. Nam 1. nemo peccat in eo quod non est in ejus potestate: quis enim peccat in eo quod vitare non potest? Atqui motus concupiscentiæ, usum rationis prævenientes, non sunt in nostra potestate: non enim possumus illos habere vel non habere pro arbitrio voluntatis nostræ, cujus omni actioni rationem præire necesse est. Ergo, &c. 2. Omne peccatum est essentialiter voluntarium, ut jam dictum est. Sed secluso omni consensu voluntatis, motus concupiscentiæ nullo modo voluntarii sunt. Ergo, &c. 3. Si motus concupiscentiæ secundum se præcisè, & absque omni consensu voluntatis, sunt peccata venialia, homo peccat venialiter, quantumvis motum concupiscentiæ patitur invitus, eique quantum potest resistat, sicque peccat, etiam cum facit id totum, quod in se est, ad vitandum peccatum. Absurdum const. Ergo, &c.

Obj. In appetitu sensitivo est libertas inchoata & sufficiens ad peccatum veniale. Ergo motus ejus seu actiones sunt peccata venialia independentè ab omni voluntatis consensu. R. in homine præter appetitum rationalem, & qui est voluntas, non esse alium appetitum præter materiale, cujus motus concupiscentiæ sunt actiones. In appetitu autem materiali nulla est libertas: nunquam enim agit, nisi determinatus ab objecto externo, aut à phantasmate objecti externi vicariò, mediante organo sensus interni, ex cujus tali commotione necessario sequitur talis determinatio & fluxus spirituum, & ex tali fluxu spirituum talis determinatio appetitus materialis, seu determinatio appetitus materialis ad talem actionem.

Quæ